

Henricum Jocham instrumentum ec. Dummodo mensæ Episcopali de omnibus præmissis tradatur copia autentica sine expensis. Præsentibus ad præmissa omnia, & singula superscripta magnifico I. C. D. Scipione Carmagherio, & Domino Guido de Porta Aquensibus testibus vocatis, atque rogatis ecc. nec non, & D. Francisco Aynardo Præposito, D. Conrado Aynerdo Archidiacono . . . . Japino, Curadino Pipero Cantore, D. Petro Aynardo, D. Petro Chiapino, D. Guillelmo Brondetta, D. Fabricio 10 Avellano, D. Gullielmino Avellano, D. Jacobo Barocio, D. Paulo Pipero, absente vero D. Petro Scuroto Archipresbitero licet domui citato, qui juraverunt in manibus prædicti RR. DD. Episcopi, & auctoritatem interposuerunt. Et ego Henricus Jocha q. Benedicti de Rochetta Pellatea Aquensis Diocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius superscriptum instrumentum una cum spectabili D. Michaele Bottarello Notario publico Aquensi rogatus recepi, scripsi, & exemplavi ecc.

*Unio perpetua Beneficii Parochialis sancti Syri Nitie Palearum Episcopatus Aquensi.*

404

M D L X V.

Pius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Æquum reputamus & rationi consonum, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu literæ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, 30 suum sortiantur effectum. Dudum siquidem felicitatis recordationis Pius Papa quartus prædecessor noster omnia beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura apud sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & dispositioni suæ reservavit decernens ex tunc irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cumque postmodum parochialis Ecclesia Archipresbiteratus nuncupata sancti Syri oppidi Nitie Palearum Aquensis Diocesis 40 provincie Mediolanensis per liberam resignationem dilecti filii Henrici Brunæ olim ipsius Ecclesie rectoris Archipresbiteri nuncupati de illa, quam tunc obtinebat per dilectum filium Marcum Gentilucium procuratorem suum ad id ab eo specialiter constitutum in manibus dicti prædecessoris sponte factam, & per eundem procuratorem admissam apud sedem prædictam vacavisset, & vacaret tunc, nullusque de illa præter eundem prædecessorem ea vice disponere potuisset, sive posset reservatione, & decreto obli- 50 stentibus suprascriptis, & deinde eidem prædecessori pro parte venerabilis fratris nostri tunc sui Petri Episcopi Aquensis exposito, quod si Ecclesia prædicta mensæ Episcopali Aquensi, cujus fructus, redditus, & proventus centum ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annum non excedebant, adeoque tenues erant, quod ex illis ipse Petrus, & pro tempore existens Episcopus Aquensis, ad quem ipsius Ecclesie illius pro tempore occurrente vacatione collatio, seu provisio 60 aut quævis alia dispositio spectabat, & pertinebat, juxta pontificalis dignitatis exigentiam commode sustentari nequibat, perpetuo uniretur, annecteretur,

& incorporaretur, ex hoc profecto mensæ prædictæ pro decentiori Petri, & pro tempore existentis Episcopi præfati subventionem aliquod accrescere subsidium, ipsaque Ecclesia in divinis potius susciperet incrementum, quam detrimentum pateretur. Pro parte Petri Episcopi prædicti asserentis fructus, redditus, & proventus Ecclesie prædictæ, & illi forsitan annexorum quinquaginta ducatorum auri similitudinem secundum eandem æstimationem valorem annum non excedere, eique prædecessori humiliter supplicato, ut Ecclesiam prædictam eidem mensæ perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaretur. Idem prædecessor, qui dudum inter alia voluerat quod semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interesset, quique ad ea providentiæ suæ partes favorabiliter impartiebatur, per quæ singulis Ecclesiis præsertim cathedralibus, & illarum præsentibus personis opportune valeretur provideri, ac qui eadem die præfato Henrico omnia, & singula fructus, redditus, proventus, & emolumenta quæcumque dictæ Ecclesie per ipsum Henricum quoad viveret, vel alium, seu alios ejus nomine propria auctoritate libere percipienda, exigenda, levanda, arrendanda, locanda, dislocanda, ac in suos usus, & utilitatem convertenda loco pensionis annuæ reservavit, concessit, & assignavit, Apostolica auctoritate Petrum Episcopum prædictum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, ac interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existebat ad effectum præsentium dumtaxat consequendum absolvens, & absolutum fore censens, hujusmodi supplicationibus inclinatus sub data videlicet VII. idus octobris Pontificatus sui anno tertio Ecclesiam prædictam, sive præmissis, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque personæ, seu per similem ipsius Henrici, vel cujusvis alterius resignationem, de illa in Romana curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, & testibus sponte factam, aut constitutionem piæ memorie Joannis Papæ XXII. etiam prædecessoris nostri quæ incipit *Execrabilis*, vel assencionem alterius beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati vacaret, etiamsi tanto tempore vacavisset, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem præfatum legitime devoluta, ipsaque Ecclesia dispositioni Apostolicæ specialiter, vel alias generaliter reservata existeret, & super ea inter aliquos 50 lis, cujus statum idem Pius prædecessor haberi voluit pro expresso penderet indecisa, dummodo ejus dispositio ad eundem Pium prædecessorem ea vice pertineret cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem mensæ, ita quod liceret eidem Petro Episcopo, & successori suo ipsius Ecclesie Aquensis præfati, seu administratori pro tempore existenti per se, vel alium, seu alios ejus nomine corporalem, realem, & actualem possessionem Ecclesie, & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædictorum propria auctoritate etiam ex tunc libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus, proventus, jura, observa-